

Expetierunt tamen, cum ob cæteram eruditionem, tum maxime Sinicæ linguæ peritiam, amicitiam ejus & in Germania & in finitimis regionibus eruditi permulti. In his *Athanasius Kircherus* Romæ; in Gallia *Thevenotius*: uterque linguæ Sinicæ gnarus. In Germania *Minnskius* Interpres Cæsareus; atque *Hæronymus VVelschius*: vir non magis ob artis Medicæ scientiam, quam culturam omnis doctrinæ celebris. Venisse etiam ejus visendi causa *Cupletium* Jesuitam Berolinum audio, ex India reducem, multis cum libris Sinicis: deque his *Mulleri* rogasse sententiam. Ipse tamen reliquis omnibus *Jobi Ludolfs* ac *T. Menzelii* amicitiam solitus semper est anteferre. E quibus huic quoque *Methodum Pandectarum*, quam confecerat, se commisisse edendam aliquando amico commemoravit.

Ac quoniam ad rem literariam Sinensium ventum est; cujus rationes omnes reclusas esse *Mullero* fama ferebat, & percepturos se ab eodem, *Clave Sinica* edita, sperabant eruditi: non defraudandus sua laude est *Christianus Menzelius* & vir optimus, quod ex multorum sermone audiui, & Medicus. Nam eum quoque habuit urbs hæc in eadem lingua occupatum. Hujus in Sinicis lucubrationum in *Bibliotheca Regia Berolinensi* monumenta extant tria. *Primum* *Lexicon Sinicum* CW' GUE' 1, Voluminibus novem in folio. Quibus ille liber, ut est a Sinensibus ipsis compositus, & more gentis typis excusus, dissectus minutim ac commode dispositus, passim ab ipso *Menzelio* additam versionem Latinam habet. *Alterum*, volumen unum: quo *Clavis* quædam *Sinica* continetur; ad *Chinensium* scripturam & pronuntiationem *Mandarinicam* CXXV. tabulis præsentata. Qua aperitur modus evolendi eorum *Lexica* characteristicæ: ac præsertim *çû guèi* dicta. *Tertium*, præter alia eodem spectantia, *Grammaticam Sinensem* exhibet. Quæ cum futura sint non contemnenda linguæ Sinicæ studiosis adjuncta: tum, si qui discere voluerint, his quoque eadem *Bibliotheca Regia* exhibet *Dictionary Sinico-Hispanicum*. Quod & versione latina multis in locis locupletavit *Cl. Menzelius*. & ut erat, ingenui atque erecti animi, eodem se usum cum fructu suo passus est. Inscribitur autem ille codex: *Vocabulario de letra China con la Explicacion Castellana aut. F. Francisco Diaz, de la Orden de Predicadores, Ministro incansable en este regno de China.*

Sed redeundum eo est, unde digressi sumus: atque de iis, quæ nunc lectori sistuntur, opusculis *Mulleri* pauca adhuc addenda. Exhibentur nempe hic primo loco *Alphabeta plusquam sexaginta* scite admodum
ære